

Kreis Paderborn

S. 41

1270 November 30.

[1

Bischof Simon von Paderborn genehmigt die Stiftung einer Messe am Hochaltare des Domes zu Paderborn.

Simon Dei gratia episcopus et capitulum Paderbornense tam praesentibus quam futuris perpetuam in Domino salutem. Cum nihil magis hominibus debeat, quam ut supremam voluntatis, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stylus et licitum, quod rectum non regit arbitrium, nos ultimum testamentum infra scriptum Joannis cantoris ecclesiae nostrae approbamus et confirmamus, in quo ordinavit et constituit, statim post primam et ante tertiam ad maius altare ecclesiae nostrae diebus singulis celebrari breviter missam unam, ita quod omni sabatho dicet missam de beata Virgine et omni dominica de omnibus Sanctis, et omni secunda feria missam animarum cum tribus collectis: prima collecta erit pro sacerdotibus, secunda pro Elisabeth foemina, tertia pro omnibus fidelibus defunctis; feria tertia proxima de Angelis, quarta feria, quinta feria, sexta feria et sabatho de beata Virgine. Cuicumque vero thesaurarius ecclesiae nostrae, qui pro tempore fuerit dictam missam commiserit celebrandam et beneficium ad hoc pertinens contulerit, ille habebit in beneficio bona in Bennenhusen cum pertinentiis suis, quibus bonis adscripsit idem cantor pretium domus suae post obitum suum; ita quod thesaurarius cum sacerdote dictum beneficium habente bona emat ad

42
usum sacerdotis eiusdem. Eo non obstante, quod dictus cantor ante hoc ultimum testamentum ordinaverit et de domus suae pretio abbas et conventus beatorum apostolorum Petri et Pauli servari faceret anniversarium suum literis nostris super his connectis. Quas literas, quia ad instantiam cantoris eis dedimus ad suam instantiam in hoc suo ultimo testamento revocamus, cum ipse ultimum testamentum faciendo annullaverit ipso iure praecedens testamentum. Quotiens etiam candela beatae Virginis, quae tantum intra missam ardebit, in toto vel in parte consumpta fuerit, presbyter capellanus dictae missae in candela alia duas libras ad minus habente de proventibus dicti beneficii providebit. Ut autem omnia praescripta propter salutem et peccatorum remissionem praenominati Joannis presbyteri et cantoris et etiam eorum, a quibus aliquid recepit et non deservivit perpetuis temporibus ad honorem Dei et beatae virginis Mariae matris eius et omnium sanctorum ad maius altare ecclesiae nostrae et in tempore praedicto absque irrevocatione rata et firma permaneant, nos praesentem paginam sigillorum nostrorum duximus roborandam. Actum et datum anno domini M^oCC^oLXX in die beati Andreae apostoli.

Abchrift des 18. Jhdts. Nicht im B. U.-B. IV.